

ad cathedram extunc venturo<sup>1</sup> tantundem, videlicet sex milia librarum dicti pagamenti. Quibus omnibus antedictis sic ex mandato dicti comitis defalcatis de octo milibus marcarum supradictis, hoc quod de prefatis octo milibus marcarum argenti extunc residuum est, ad bonam computationem prefato comiti Gelrensi infra hinc id est a data presentium litterarum et instans festum Pasche<sup>2</sup> persolvemus. (2) Preterea ad contrahendum inter nos et ipsum comitem amicitiam ampliorem promittimus unam de filiabus dicti comitis maritare aut cum fratre nostro Alberto duce Austrie vel cum Henrico duce Karinthie, quem istorum idem comes maluerit, sic quod cum dicta filia nichil donabit in donacione propter nupcias, sed alter predictorum eam ducens in uxorem dabit sibi in dotem octo milia marcarum argenti reddituum annuorum, hoc adiecto quod is qui duxerit eam in uxorem in redditibus habeat annuatim triginta milia marcarum argenti. (3) Preterea promittimus eidem comiti in signum specialis prerogative innovare, confirmare et approbare omnia privilegia, libertates et gracias, que progenitores dicti comitis et ipse comes ab imperatoribus et regibus Romanorum habuerunt, tenuerunt, tenent et habent hucusque, in quibuscumque iuribus et rebus consistent, et precipue pignus suum, quod in castro et opido Novimagiensi<sup>3</sup> habet, ipsamque summam pignoris ad sex milia marcarum argenti priori summe superaddenda<sup>a</sup> augmentare, perceptis et percipiendis in sortem minime computandis. (4) Ad maioris quoque prerogative virtutum et meritorum dicti comitis indicium seu insignia nobilitatis sue, quibus evidenter prefulget, ex mera nostra liberalitate promisimus et promittimus, ipsum comitem principem creare et constituere sibi que suisque . . successoribus insignia principatus tribuere cum sollempnitatibus, iuribus et libertatibus infeodacionis principatus debitis et consuetis. (5) Item in quantum de iure fieri potest, promittimus constituere omnes Frysones utriusque sexus, cuiuscumque status aut condicionis existant, terre et districtus orientalis situs eiusdem comitis et suorum heredum perpetui domini, ita quod sibi suisque successoribus teneantur et debeant pleno iure domini et subiectione in omnibus et per omnia in personis, bonis et iuribus subesse dominio temporali, volentes et ex nunc eidem comiti libere concedentes, ut

---

a) 'superaddende' Or.

1) 1316 Febr. 22.    2) 1315 März 23.    3) Nimwegen.